

ut alia praeteream (46). Contra vero Nicolaus I. parentum aut propinquorum consensionem minime necessariam declaravit, dicens : « Sufficiat secundum leges (nempe Ecclesiae) solus » eorum consensus, de quorum coniunctionibus agitur. Qui con- » sensus si in nuptiis solus forte defuerit, caetera omnia, » etiam cum ipso coitu celebrata, frustrantur (47). » Eadem confirmat Innocentius III. (48), Lucius item III. (49), ac de- dum concilium Tridentinum (50).

Ex quibus illud etiam eruitur, non modo civiles leges, verum etiam ecclesiasticas in eodem censu habuisse sponsalia ac matrimonium, adeoque cum constet, Ecclesiam uti obiectum suum constanter habuisse coniugium, utpote sacramentum, et qui- dem exclusive, in quod exercebat suam potestatem, ita etiam constat, uti suaे auctoritatis obiectum spectasse sponsalia, quae ad ineundum coniugium viam parant. Exinde novum oritur argumentum ad Ecclesiae potestatem in sponsalium vinculum exclusive adstruendam vindicandamque adversus Pistorienses, Nuytz, atque aulicos et regalistas caeteros (51).

(46) Tertul. lib. II. *Ad uxor.* c. V. scribit : « Nam neque in terris sine con- » sensu parentum filii recte et iure nubent. » Cf. Gonzalez in *Notis ad conc.* *Illiberit.* ad can. LIV. Item Pontium *De matrim.* lib. II. cap. I. §. I. et II. Anastas. Germonium *Animadvers.* lib. II. cap. XI. Romae 1622. opp. tom. II. pag. 170. seqq. Espenaeum *De clandestin. matrim.* c. 11 seqq. opp. ed. Paris. 1619. pag. 635. Albaspin. ad Tertull. lib. observat. XXIV. Francisc. Hotmanum *De sponsal. illustrib.* quaest. IX. De his etiam agit Brissonius in duobus libr. *De ritu nuptiar.* et *de iure connubior.*

(47) Consul. *Bulgaror.* c. 5. Gratian. in cap. *Sufficiat.* causa XXVII. q. 2.c.2.

(48) In cap. *Tuae fraternitati de sponsal. et matr.*

(49) In epist. ad Burgens. episc. in cap. *Cum causa de raptoribus.* Decr. lib. V. tit. 17. 6.

(50) Sess. XXIV. *De reform. matr.* cap. I.

(51) Vidimus paulo ante vel ipsum Boehmerum, iurisconsultum Lutheranum, ad causas mere ecclesiasticas sponsalia referre, atque uti tales a tribunalibus protestantium haberi.

CAPUT VI.

De Ecclesiae potestate in matrimonio haereticorum inter se vel cum catholicis.

ARTICULUS I. — Generatim matrimonialis Ecclesiae legislatio Matrimonia respicit non modo catholicorum verum etiam mixta et haereticorum.

Suspiciari forte quis posset ea, quae diximus de Ecclesiae po- testate in matrimonium christianum, ad catholicos solum coniuges pertinere. At matrimonialis Ecclesiae legislatio matrimo- nia attingit non modo catholicorum, sed etiam mixta, et haere- ticorum. Ac de matrimonii quidem mixtis pluradicenda essent, sed quoniam de iis fuse in theologicis nostris preelectionibus egimus, nil hoc loco addemus. Tres ibi propositiones statuimus ac vindicavimus : 1. coniugia inter catholicos et acatholicos regu- lariter illicita esse, utpote graviter improbata iure naturali et divino, atque a iure ecclesiastico penitus interdicta ; 2. non nisi Romani pontificis dispensatione licite posse iniri coniugia mixta ; graviter proinde peccarent sacerdotes catholici, qui absque pontificia dispensatione, nec servatis conditionibus ab eo praescriptis, eiusmodi coniugia praesentia sua, benedictione, aliove ritu sacro cohonestarent ; 3. non posse acatholicos, quin omnia laudent aequitatis iura cogere sacerdotes catholicos ad honestandas benedictione aliove rifu sacro nuprias mixtas, quae neglectis canonice sanctionibus contrahuntur (1). Quin igitur dicta repetamus, fixum maneat, Ecclesiam iure suo matrimonia mixta prohibere, eademque prudenter permittere, et Ecclesiae ipsius legislationi semper standum esse, quod attinet ad prolis praesertim catholicam educationem.

Matrimonia mixta obnoxia esse ecclesiasticis impedimentis sive dirimentibus sive impedientibus satis per se appetit ; at quaeritur an idem dicendum sit de iisdem impedimentis circa matrimonia haereticorum. Tota quaestio est de ecclesiasticis

(1) In *Tract. de matrim.* cap. IV.

impedimentis ; nam quod attinet ad impedimenta, quae ex iure naturae, vel ex iure divino positivo oriuntur, evidens est iis non minus catholicos quam acatholicos devinciri. Hinc error, ex. gr., impotentia, amentia, ligamen, irrita reddunt haereticorum etiam coniugia.

Sed quaestio etiam de ecclesiasticis impedimentis facile solvit ex generali principio, quo statuitur omnes baptizatos, adeoque etiam haereticos, universalibus Ecclesiae legibus obligari. Licet enim rebelles sint atque apostatae, licet sint extra Ecclesiam, ad Ecclesiam tamen iure pertinent, prout oves ex ovili profugae ad ovilis herum, ac prout transfugae milites ad principem spectant, cuius vexillum deseruere. Hac de re ita praecclare scribit Suarezius : « Haeretici sunt vere subiecti ecclesiasticae iurisdictioni : nam retinent characterem baptismalem, quod est fundamen- tum huius subiectionis. Et licet secundum praesentem statum non sint absolute membra, tamen aliquando fuerunt membra, et contra ius Ecclesiae acquisitum deliquerunt, se ab illa separando, semperque ad illam redire cogi possunt, quia sicutum ecclesiasticae iurisdictionis semper in se retinent, et ratione illius veluti inchoationem quamdam habent membrorum Ecclesiae. Unde fit, ut eius praceptis obligentur, et contra ea peccent illa non servando (2). »

Cum igitur impedimenta coniugium dirimentia iure ecclesiastico constituta leges sint universales, evidens est etiam haereticos eisdem devinciri. Omnem hac in re dubitationem sustulit Benedictus XIV. in brevi ad card. Eboracensem die 9. Febr. 1749. ex occasione matrimonii initi inter virum Iudeum et mulierem haereticam : ibi enim uti firmum principium assunit, haereticos quidem ab Ecclesiae unitate repellit, iisque bonis orbari omnibus, quibus fruuntur in Ecclesia versantes, non tamen ab eius auctoritate et legibus liberari : tum subdit :

(2) *De legibus* lib. IV. cap. 19. n. 2. cf. etiam *De Lugo* in op. *De fide* disp. XXI. see. I. et II. Bellarmin. *De Ecclesia* lib. III. cap. 4. n. 10. et lib. III. *De laicis* c. 22. nec. non *Biner Apparatus eruditionis ecclesiasticae* part. I. c. 5. aliosque passim.

« Haeretici Ecclesiae subditi sunt, et legibus ecclesiasticis tenentur. Cum vero intra leges Ecclesiae illa quoque recentetur, quae matrimonia illorum, quorum alter rite baptizatum acceperit, secus alter, rata non habet; in nostra etiam quaestione statuendum erit, cum haeretica mulier baptismo initia Hebraeo nupsit, matrimonium illud pro irito habendum esse (3). »

Idem principium eamdemque doctrinam inculcat ac late prosequitur Pius VII. in brevi ad archiepiscopum Moguntinum die 8. Octobr. 1803. in quo cum praemisisset : « Praetermissa quaestione illa, de qua nihil modo statuere volumus, an haereticorum coniugia coram ministro acatholico contracta, sacramenta sint nec ne? » Subdit ad rem nostram : « Sed quid dicendum erit de illorum sententia, qui iactant, haereticos Ecclesiae legibus nequaquam subiici, atque inde posse illos novo coniugii foedere copulari, si primum publicae auctoritatis iudicio solutum fuerit, praepostere inferunt? Adversus illam clamant Scripturae, concilia, traditio denique universa. Omnium instar sit Tridentina synodus, quae sess. 24. cap. II. non baptizatos a baptizatis distinguens, illos tantum Ecclesiae iudicio proindeque legibus non subiici affimat, cum Ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus. Hi baptizati ergo Ecclesiae filii, quanquam rebelles et transfugae, eiusdem Ecclesiae legibus subiiciuntur; quare iam in illos potestatem exercere nunquam praetermisit Ecclesia, potestate sibi divinitus tradita, quemadmodum infinitis propemodum historiarum monumentis testatum est, ac idem concilium Tridentinum non modo novissimos de matrimonio eiusque indissolubilitate errores, sed ipsos quoque errorum auctores diro anathemate percutit. Verum neque hic locus est, vindicandi Ecclesiae ius, quae haereticos suis legibus comprehendit (4). »

(5) In Bullario Bened. XIV. tom. III. pag. 4. §. 14. et 16.

(4) Apud Roskovany *Monumenta catholica Quinque ecclesiis* 1847. tom. II. pag. 86.93 seq.

Haeretici quidem ecclesiasticas leges, ac nominatim matrimoniales, non solum non observant, verum etiam contemnunt. Eo quod Ecclesiam reiecerint, se simul exuisse putant ecclesiasticum legum iugum tum in aliis, tum etiam in re matrimoniali, seque liberos dicunt ab Ecclesia tyrannide. At num ideo Ecclesiae leges irritae sunt quoad illos atque invalidae? Ex lex illa haereticorum agendi ratio leges nullatenus irritat, utpote quae unice ex illorum perduellione ac malitia dimanet. Peccant itaque contra leges, et sibi adscribere debent peccata, quae ex legum obligatione proveniunt, quibusque se inquinant illas transgrediendo, non legibus, quae per se bona sunt ac rationabiles, atque ad commune bonum sancitae. Alioquin si hac agendi ratione haeretici a legum ecclesiasticarum observatione solverentur, propria ipsis prodesset malitia.

Unica esset via ad eos eximendos ab impedimentorum irritantium obligatione, scilicet ipsius Ecclesiae relaxatio; ast talis profecto non est Ecclesiae intentio, ac voluntas, cum hoc foret haereticis favere, privilegiisque eos cumulare; iam vero nunquam intendit Ecclesia favere haereticis, qui ex ipsa perduellione et contumacia in haeresi quovis favore indignos se praebent. Deinde absonum est vel cogitare, velle Ecclesiam haereticis concedere, quod filii suis denegat.

Et hoc quidem in universum quoad impedimenta ecclesiastica ex. gr. criminis, disparitatis cultus, cognitionis spiritualis, affinitatis, consanguinitatis quoad aliquot gradus, cum quibus si qua matrimonia ineant haeretici, ex dictis per se sunt prorsus irrita ac nulla, licet consuetudo eiusmodi coniugia ineundi apud eos invaluerit. Nam nulla consuetudo, quae virtute propria vincat legem, habetur, nisi accedat tacitus saltem aut praesumptus legislatoris consensus, qui in casu nostro nullatenus fingi potest, cum Ecclesia nolit eiusmodi consensum haereticorum consuetudini praebere, eo ipso quod ei rebelles sint, aut exhibere hac in re favorem, quem nullo modo merentur.

Idque confirmatur ex principio adoptato ex antiquo iure a

concilio Tridentino, quod agens de iis, qui ignorantes impedimentum, sine debitiss proclamationibus coniugium cum eo contrahunt ait: « non enim dignus est, qui Ecclesiae benignitatem facile experiat, cuius salubria paecepta temere contempsit (5). » Multo igitur magis principium istud valet quoad haereticos, qui omni qua possunt ratione admituntur Ecclesiam quavis auctoritate destituere, atque eam omnino evertere. Item cap. *Quod super. de consanguin.* quorundam matrimonia intra gradus prohibitos inhibentur cum expressa clausula: *non obstante consuetudine, quae dicenda est potius corruptela;* potiori proinde iure haereticorum consuetudines Ecclesiae legibus adversantes *corruptelae* dici debent.

Neque est quod quisquam reponat, eiusmodi haereticorum connubia contra leges ecclesiasticas inita, saltem legitima censerit et esse uti contractus naturales ac civiles. Siquidem Ecclesia, ut plus semel ostendimus, nulla agnoscit in baptizatis coniugia, quae non sint sacramenta. Nam in cap. *De divortiis* matrimonium inter baptizatos universe *sacramentum* definitur (6), adeoque tale etiam inter haereticos esse debet, etiamsi eorum culpa eiusmodi non sit, quod ipsi invalide contrahunt. Cum proinde ob leges matrimonium irritantes nullum sit apud haereticos sacramentum, hoc ipso nullus est contractus sive naturalis sive civilis.

Neque tamen indidem sequitur, omnia haereticorum coniugia invalida esse; etenim illa solum invalida sunt censenda ac reipsa irrita sunt, quae ineuntur cum aliquo impedimento direcente, caetera vero non item. Et reipsa Ecclesia illorum coniugia constanter habuit uti legitima. Calumniarentur idecirco Ecclesiam, qui affirmarent, eam ceu totidem concubinatus, seu coniunctiones fornicarias spectare haereticorum coniugia. Immo Pius VII. positive reprobat illorum sententiam, qui effutint

(5) Sess. XXIV. cap. 5. *De reform. matrim.*

(6) In cap. *Quanto lib. IV. Decretal. tit. XIX. 7.*

« matrimonia haereticorum coram ministro acatholico inita generatim nulla esse (7). »

Haec de matrimoniis haereticorum inter se relate ad impedimenta *in genere*, brevissimo hoc articulo innuisse sufficiat: at nominatim quod attinet ad impedimentum clandestinitatis a conc. Tridentino constitutum non brevis, neque omnino facilis erit disceptatio, quam distinctis articulis solvendam aggredimur.

ARTICULUS II. — Nominatim quoad impedimentum clandestinitatis, quaestio enodatur iuridica: an clandestina Matrimonia sive mixta, sive haereticorum sint irrita.

Decretum Tridentinum *Tametsi* (sess. XXIV. cap. I. de ref. matrim.), de quo in priori libro late egimus magnam in legislatione de matrimonio christiano mutationem invexit, ac merito peculiarem attentionem etiam hoc loco sibi vindicat. Impedimentum dirimens clandestinitatis eo decreto constitutum ex ipsa declaratione concilii non obligat nisi in paroeciis fuerit publicatum: hinc matrimonia non modo mixta et haereticorum, verum etiam catholicorum, eo impedimento non tenentur, ubi publicatio quacumque de causa facta non fuerit. At quaestio est implexa et salebrosa an eo impedimento invalida censeretur clandestina matrimonia sive mixta sive haereticorum iis in locis contracta, in quibus Tridentinum decretum fuerit publicatum, et in quibus modo haeretici vel dominantur, vel sub principibus etiam catholicis suos habent ministros, suaque tempa, ac coetus propriae communionis, ut vocant, constituunt, adeoque ne cogitantes quidem de forma Tridentina, more suo ineunt coniugia.

Famosa est hac in controversia declaratio atque concessio Benedicti XIV. circa matrimonia Hollandiae, quae data fuit die 4. Novemb. an. 1741. quaeque sic se habet: « Quod attinet ad matrimonia ab haereticis inter se in locis foederatorum ordinum dominio subiectis celebrata, non servata forma per

(7) In allegato brevi ad archiep. Moguntinum loc. cit. p. 94.

» Tridentinum praescripta, licet Sanctitas sua non ignoret, alias in casibus quibusdam particularibus, et attentis tunc expositis circumstantiis, sacram congregationem concilii pro eorum invaliditate respondisse; aequa tamen compertum habens, nihil adhuc generatim et universe super eiusmodi matrimoniis fuisse ab apostolica Sede definitum, et alioquin oportere omnino ad consulendum universis fidelibus in iis locis degentibus, et plura avertenda gravissima incommoda, quid generaliter de hisce matrimoniis censendum sit, declarare; negotio mature perpenso, omnibusque rationum momentis hinc inde sedulo libratis, declaravit statuitque, matrimonia in dictis foederatis Belgii provinciis inter haereticos usque modo contracta, quaeque in posterum contrahentur, etiamsi forma a Tridentino praescripta non fuerit in iis celebrandis servata, dummodo aliud non obstiterit *canonicum impedimentum* (8), pro validis habenda esse, adeoque si contingat, utrumque coniugem ad catholicae Ecclesiae sinum se recipere, eodem, quo antea, coniugali vinculo ipsos omnino teneri, etiamsi mutuus consensus coram parocho catholicico ab eis non renovetur; sin autem unus tantum ex coniugibus, sive masculus, sive foemina, convertatur, neutrum posse, quandiu alter superstes erit, ad alias nuptias transire (9). »

Eadem porro declaratio atque concessio ad plures regiones apostolica auctoritate extensa fuit; adeoque ubi constet, vel Tridentinum decretum non fuisse publicatum, vel deinde Benedictinam declarationem et concessionem datam fuisse, ibi certe haereticorum connubia, sine catholici parochi praesentia celebrata, valida censeretur debent.

Quaestio est historica et practica ubinam Tridentinum decretum fuerit nec ne publicatum, et ubinam apostolica concessio et

(8) Haec verba confirmant illud, quod in praeced. articulo statuimus, impedimentis canoniciis etiam haereticos teneri.

(9) In Bullar. Bened. XIV. tom. I. pag. 87 seq.